

fuerit sibi à Duce Sueuiæ, & quod cum Suevis vicerit Maxentium, quod contrarium est Ecclesiasticæ historiæ & tripartitæ. Mentionem etiam facit de *Ouuiâ majori* & de *Ulma* & de *Wingarten* sub alio colore, quam contineatur in antiquissimis literis Constitutionum illorum locorum; & procedit ac si *Ulma* pertinuisset ad *Ouuiam* maiorem ante Constantini tempora, cum tamen constet, *Ulmam* datam Abbati Ordinis S. Benedicti *Ouuiæ* majoris, qui S. Benedictus quasi ducentis annis fuit post Constantini tempora, & monasterium *Ouuiæ* majoris aliquibus annis post S. Benedictum fuit fundatum. Nisi dicere velimus, quod ante institutionem ordinis S. Benedicti fuerit ibi alius ordo vel Clericorum Congregatio, sicut scriptor præfatus videtur velle, quod tamen demonstrare non potest.

Præter hæc multa alia incongrua ponit in eadem historia, quam sine correctione imprimi fecit quidam in *Ulma*, & jam undique mendacia disperguntur in Alemannia in præjudicium illustrium Comitum de Montfort, & aliorum Nobilium, quibus confectis mendaciis complacere æstimabant. Continet enim prima riga vel linea apertum mendacium, dicens anno Domini CIV. Romæ *Curionem* imperasse, & Senatam sibi consentientem habuisse, & *Theonestum* patrem *Vrsi* & *Albani* martyrum ipsum convertisse &c. Constat autem prædicto anno Trajanum Imperatorem fuisse, & Euaristum Papam, prope circa tempora Apostolorum. Sanctus autem Theonestus Philippensis Episcopus ab hæreticis de sua sede pulsus ab Arrianis, cum *Vrso* & *Albano* & aliis duobus discipulis Romam venit ad Leonem hujus nominis primum, à quo missus in Alemanniam contra hæreticos disputavit, & *Vrsus* Augustæ martyrizatus per hæreticos, *Albanus* autem Moguntia. Fluxerunt autem inter Trajanum & Theodosium Imperatores anni plures quam centum; vel inter Euaristum Papam & Leonem primum inveniuntur mediasse anni multi, cum Euaristus præfederit A. D. CCCCXLIV. & sub hoc Papa venit S. Theonestus in Alemanniam.

Multis autem signis notare possum, quod historia prædicta non est omnino conficta & absolute falsa, sed in rebus gestis est vera quidem, alium tamen colorem & alia tempora assignat & alias causas. Æstimavit enim compositor, quod nemo cum industria lecturus esset eam; ideo honestius quo potuit rem facti coloravit alio tempore & causis, quod ei indulgemus, quia possibile est mihi simile contingere. Saluando autem historiam in facto dicere possumus, quod translato imperio in Græcos circa tempora Theodosii & Archadii, Honorii & Theodosii Junioris, fuit pax in Oriente, ubi regebant, quia devotissimi Imperatores erant. Sed Huni, Wandali & Gothi ultra modum Occidentem vexabant, Italiam turbabant, & Romam multipliciter quassabant. In istis tribulationibus potentes Romani & alii Italiae Nobiles cordibus fracti dicebant, Christi fidem horum malorum esse
causam,